



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

V. Sita in conjunctione cum voluntate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

*bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in
celis est.* Et D. Petrus epistolæ 1. cap. 2.
hortatur Christianos ad virtutum exerci-
tationem, ut Infideles, ex bonis operibus
eos considerantes, glorificent Deum. En
laudandi rationem objectivam. Efficien-
ter glorificamus, vel internis actibus ado-
rationis, submissionis, donationis: vel ex-
ternis, voce aut gestu formatis, quò præ-
sertim pertinent cantus sacri & cæremoni-
æ Ecclesiasticæ.

V. Externa glorificatio vim om-
nem ac pretium sumit ab inter-
na. Frustra enim lingua lau-
dat, si mens non commendat.
Itaque de illa hîc non agimus, cùm à malis
peræquè adhiberi possit, quàm à bonis.
Confitetur enim Deo impius, cùm bene-
fecerit ei. At bonus Deum laudat,
quidquid ei evenerit: laudat, inquam,
voce interdum, semper corde, vocalissi-
mo & suavissimo glorificationis divinæ
instrumento. Cor enim ipsius rectum
est cum corde Dei: vult fieri, quod Deus
facit: fieri non vult, quod non facit Deus.

Atqui

Atqui constat, quidquid Deus facit, ab eo ad suam gloriam referri. Esse igitur nequit, quin Dei gloriam velit, qui vult quod vult Deus. Amplius dico, non gloriam Dei solùm spectari ab ejus mentis homine, sed etiam majorem gloriam. Dubitare enim non possum, quin Deus non gloriã modò suã, verùm & majorem gloriam intueatur in agendo: ejusque minùs studiosus non sit, quàm Sanctorum multi, quibus non honor Dei qualiscumque, sed summus semper ac perfectissimus pro fine propositus fuit. Iluc respexere Divi Augustinus & Thomas, cùm dixerunt, optimum semper in omnibus à Deo fieri, ut partis 1. sect. 2. ad calcem adduximus. Idem, opinor, intuebatur, & expenderat, Henricus Suso apud Blosium in dictis Patrum, cùm pro virtutis consummatæ stabilissimo fundamento posuit: *Vitam eminentem, quã Deus maximè glorificaretur, non in eo positam, ut quis affluat sensis divinis, & solatiis, sed ut evenire velit omnia, sicut à Deo eveniunt, & voluntatem suam in quibuslibet rebus divina submittat.*